



Policratici Contenta

Johannes <von Salisbury, Bischof>

Parrhisius, 1513

[Incipit prologus libri Tertii.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70332)

Polícratici de Curialiū nugis.

Color rhetori-
cus qui dicitur
occupatio.

bit q̄ vita eius non fuerat ulterius protendenda. Et vt dicitur quos longa afflixerunt inedia: iam mortuis sorbiciūculas faciunt & inutiles: & delictos preparant cibos. Expectas forte vt dicam quod dicit apostolus / quia hii sunt / qui homines officiosissime occidunt: sed frustra. Absit enim vt hanc contumeliam proferam: quam si forte audire volueris: senecam / pliniū adeas & sydonium: qui hoc in aurib⁹ tuis / clamore valido replicabūt.

¶ Explicit liber secundus.

¶ Incipit prologus libri Tertii.



Matth. xxij.

Ultorum hostis fio: dum ineptias nugatorum excutio. Qua de causa ocjari & filere decreueram: sed alterum mihi negociorum tumultus excutit / alterum motus animi interrumpit. Qui enim sub potestate constitutus est: si sapit obtemperat imperio presidentis. Quem stimuli affectuum pungunt: dissimulare non potest quin moueatur ad formam passionis. Exultat ergo quem gaudii aura demulcet / spes inducit hylaritatē: met⁹ trepidat: dolentis animus merore confunditur. Hec apud singulos alternat facies boni aut mali. Verum sensus malorum altior est & sepius in omnes incurrit. Quis est enim qui malorum asperitate sepius non vratur q̄ demulceatur fomēto bonorum? Rarus est qui totius fortune impetum a se toto possit arcere. Qui suis viribus preualet: in amici aut familiaris corpore vel forte tentatur: licet parum humanus sit: quem extrancorum iactura non concutit. Non satis homo est quem aliena non mouent. Sed sapientioribus iam venit in dubium: an quicq̄ hominis recte sit homini alienum. Virtutis vero processus ambiguitatis huius nodum soluit / cum & comicus nihil humani alienū a fereputet / & magister celestis hominem homini diligendum docuerit vt seipsum. Vnde patet indignum esse tanto magistro discipulum qui veritati non gaudet: & aduersus publice salutis hostes non exandescit. Eos vero pro parte presentis operis sculi aliquatenus tangit intentio: & nugas eorum quo potest & consuevit / telo discutiet.

¶ Explicit prologus libri tertii.

¶ Incipit liber tertius.